

STAM. *Filamenta* semper tria, corollæ circiter longitudinis vel levissimè breviora, hinc minutissima. *Anthera* subrotundæ, didymæ.

PIST. *Germen* ovato-trigonum, parvum. *Stylus* simplex, filiformis, brevis, sursum paulo crassior. *Stigma* simplex, obtusiusculum, omnino indivisum.

PER. *Capsula* ovata, apice obsolete trigona, trifariam dehiscens, unilocularis.

SEM. plura, ovato-oblonga, minima, punctis (lente visa) minutissimis punctata.

Color Corollæ pallidus.

Genus mihi difficile designatur; videtur tamen proxime accedere ad Illecebrum, sed stamina tantum tria & semina plurima, diversa sunt. Facies Plantæ & ramificationes Herniariam & Paronychiaam referunt, sed differt ab illis præsentî corollæ & numero staminum, uti a Mollugine stylo simplici. Videtur tamen, ni fallor, similitudinem habere quandam cum fructif. illeebro cynoso, quam, non nisi exsuccam, vidi in Estremadura.

II. DIGYNIA.

3. SCHOENUS *aculeatus*.

PHALARIS repens, floribus sessilibus fasciculatis fastigiatis, foliaceo bivalvi compresso obtectis. *Loeff.*

Habitat in depressis subhumidis nudis, fluxu Maris quotidie inundatis, ad St. Ybes Portugalliæ.

Gramen minimum & repens est.

Radix parva, fibrosa, culmos plurimos producens.

Culmi minimi, vix semidigatales, repentes s. archè terræ incumbentes, profusi, tribus quatuorve geniculis ex singulo ramulosis.

Rami prodeuntes, consimiles.

Folia brevissima, graminea, ovata s. lanceolata, disticha, complicata.

Vagina in foliis culmaceis geniculorum fere longitudine, glabra, striata, interius gibbo-ventricosa.

Membranula nulla, sed ejus loco pili tenuissimi, parvi.

Flores